

entitatem, non ut importat perfectionem, sicut bonitas, sed ut importat positivam rationem entis cum indivisione tamquam cum modo requisito ad unitatem, et sic unico verbo dixit, quod non importat rationem perfectionis, sed indivisionis, id est, ens non ut fundat perfectionem, sed ut fundat indivisionem, seu ens indivisum, et non puram negationem divisionis, id enim aliis locis expressis D. Thomæ importari in ratione unius. In alio autem loco ex quæstione x, non dicit D. Thomas rationem unius formaliter esse solam indivisionem, sed eam addere enti. Id autem quod addit enti non est formalis ratio illius, sed conditio requisita ut entitas ipsa sub tali modo sit formalis ratio unitatis, ut explicatum est.

XXV. Ad rationem respondetur, quod formaliter unitas distinguitur ab aliis passionibus per ipsum ens non absolute, sic enim in illo omnes passionibus conveniunt, sed ut subest illi privationi divisionis, quæ ens non est, et additur supra rationem entis. Itaque privatio non est formale quod distinguit, sed est conditio, seu modus sub quo positum ens formaliter distinguit unum a vero, et bono. Entitas enim propter suam universalissimam transcendentiam est virtualiter multiplex, et ut modificatur tali conditione, seu modificatione constituit unam formalem rationem proprietatis, seu attributi, et ut modificatur alia conditione constituit aliam. Et hoc ideo, quia passionibus istæ propter suam transcendentiam non possunt distingui ab ente, nisi penes connotationes, et conditiones, non penes ipsam formalem rationem, quæ tamen non constituitur et formatur, nisi illa conditione, et connotatione supposita. Et eodem modo distinguitur unum ab ente cujus est propria passio, non quia sit aliquid consecutum consecutione reali, si-

cut risibile a rationali, nec enim est distinctio realis propter transcendentiam qua ens imbibitur in passionibus, et consequenter neque est consecutio realis, sed est consecutio, et distinctio rationis, secundum quod idem reale ens diversis subest conceptibus, et unus est prior altero, id est, ens sub absoluto, et præciso conceptu entis est prius se ipso sub conceptu connotante, aut modificato per indivisionem, quod est unum, aut per adæquationem ad intellectum quod est verum, etc. Et sic idem ens sub uno, et alio conceptu est prius, et consecutum ratione illorum conceptuum, sed cum fundamento in re. Nec tamen sequitur, quod non sit realiter unum, sed solum quod unum non sit realiter distinctum ab ente: aliud est enim, quod non sit realiter distinctum ab ente: sicut Deus realiter est æternus, et immutabilis, licet solum per rationem distinguatur æternitas ab immutabilitate, et consequatur ad illam, cum fundamento tamen in re.

XXVI. Secundo objicies: Si unum superaddit enti negationem divisionis, ut constituatur unum, ergo divisio est prior unitate, quia habitus, seu forma est prior negatione, ergo est prior indivisione, et consequenter unitate, quia hæc dependet ab illa negatione, sed posita divisione tollitur unitas, et datur multitudo in ente, ergo prior est divisio, et multitudo in ente quam unitas, quod tamen est falsum, tum quia alias unum non esset prima passio entis, sed multitudo, tum quia multitudo supponit unitatem, quia ex unitatibus fit multitudo. Confirmatur, quia ratio, qua D. Thomas probat unum transcendentale addere super ens aliquid negativum non valet, ergo non requiritur ista negatio superaddita, etiam ut conditio aut modus. Antecedens probatur, nam ratio est, quia vel unum addit super

ens distinctam entitatem, vel non. Si non, ergo nihil addit, et consequenter si addit non est ens, sed negativum. Si autem addit, inquiremus quomodo illud additum sit unum, et erit processus in infinitum. Eodem autem modo posset probare D. Thomas quod bonum non est aliquid positivum, quia vel superaddit aliquid distinctum, vel non. Si hoc secundum, habetur intentum, quia sic non addit positivum, sed negativum. Si primum, inquiremus, an illud distinctum sit bonum, et qua bonitate, et erit processus in infinitum: ergo sicut hic illa ratio non tenet, neque ibi.

XXVII. Respondetur quod secundum D. Thomam in hac quæstione xi, articulo ii ad quartum, primo cadit in intellectu ens, secundo quod hoc ens non est illud, et sic secundo apprehendimus divisionem, tertio unum, quarto multitudinem. Unde patet, quod nostro modo apprehendendi divisio est prior uno, non tamen multitudo, quia multitudo non est sola, et mera divisio, sed ex divisione causatur, supposita tamen unitate, et entitate extremorum quia ut ibidem dixerat D. Thomas divisa non intelligimus habere rationem multitudinis nisi per hoc quod utrique divisorum attribuiamus unitatem. Unde divisio quæ intelligitur prior unitate non est multitudo ex unitatibus constituta, sed est illa divisio, secundum quam intelligimus hoc separari seu non esse illud, secundum quod ens contradictorie opponitur, et separatur a non ente, ipsum autem ens in se habet divisionem in potentia, id est, potest dividi in hoc et illud. Unitas autem tollit hanc divisionem non quod præcesserit exercite, et de facto et sic illam tollat, sed faciendo ne divisio detur. Itaque præcedit unitatem divisio in potentia seu ens esse divisibile, unitas autem tollit seu facit ne divisio de

facto sit, hæc enim impedit et solvit unitatem. Unde non oportet quod præcedat de facto, sed quod unitas faciat ne de facto sit. Non tamen dicitur divisio hæc proprietas entis, quia si esset proprietas ejus deberet de facto ei convenire. Si autem de facto conveniret, impediret unitatem, quia unitas et divisio opponuntur respectu ejusdem, et consequenter etiam impediret multitudinem, quæ ex unitatibus constat, et sic non datur ens cui conveniret unitas, sed divisio entis. Propter quod unum potius dicitur passio entis, quam multitudo, quia non est ens nisi sit unum, divisio autem non potest de facto convenire enti, sed entibus, unde non potest esse propria passio entis, divisibilitas tamen convenit enti, et ejus exercitium, quod est divisio tollitur ab unitate ne detur.

XXVIII. Ad confirmationem respondetur illa ratione D. Thomam solum probare contra Avicennam, quod unum transcendentale non addit super ens aliquid positivum reale distinctum ab ente, et hoc idem etiam probavit de bonitate supra quæst. v, art. iii, et in hoc parificatur bonum et unum. Sed in alio differunt, quia id quod addit unum super ens est negatio divisionis, quod vero addit bonum est aliquis respectus rationis. Quod autem unum non addat istum respectum aliunde probat D. Thomas, scilicet quia solum addit indivisionem quæ est negatio, ut ex definitione unitatis affert in corpore articuli.

XXIX. Tertio, objicitur ad probandum, quod id quod addit unum super ens non sit sola negatio durationis, sed aliquid positivum, sive sit modus aliquis, sive res. Nam id quod addit unum super ens est id quod formaliter, et directe opponitur divisioni, sed divisio est negatio: ergo indivisio quæ illi formaliter opponitur, negatio non est. Consequentia

patet, quia negationi non datur negatio, nec enim negatio opponitur negationi, sed positivo. Minor probatur, quia ut dicit D. Thomas loco citato quæst. XI, art. II ad IV: « Divisionem apprehendimus per hoc quod istud ens non est illud: » ergo divisio per negationem constituitur. Et quæst. IX de potentia, art. VII, dicit: « Quod multitudo dicit duas negationes cum unitas dicat unam, » multitudo autem per divisionem constituitur: ergo divisio negatio est, nec apparet, quid aliud positivum divisio esse possit. Confirmatur, quia unitas in rebus compositis est unio partium, illa enim unione constituitur unitas, et ideo negavimus in physica esse modum superadditum ut medium, quia unitas compositi non est modalis, sed substantialis: unio autem non est negatio, sed quid reale. Et idem constat discurrendo per omnes species unitatis, nam unitas quantitativa addit continuitatem et rationem mensuræ, unitas compositionis unionem, unitas simplicitatis identitatem, unitas formalis, aut numerica positivam entitatem individui vel naturæ: ergo etiam transcendentalis unitas addet aliquid positivum. Confirmatur, quia unum, et idem non differunt, sed identitas non dicit negationem, sed relationem, et in positivo rationis consistit, sicut verum et bonum, ergo etiam unum transcendente.

XXX. Respondetur divisionem habere aliquem effectum negativum, causat enim hoc quod est unum non esse aliud, sed non consistere in sola illa negatione, sed etiam in fundamento, et causa ejus, quæ est separatio seu segregatio hujus ab illo, aliter enim negatio unius ab alio causari non potest; et illam segregationem seu divisionem, quæ unitatem solvit, tollit divisio quæ talem segregationem impedit, et con-

sequenter negationem illam sicut qui destruit album destruit negationem nigri, quæ in illo est. Unde patet ad primum locum D. Thomæ. Et ad secundum dicitur, quod multitudo dicit duas negationes, unam ratione unitatum ex quibus componitur, scilicet indivisionem earum, alteram ratione divisionis, quam importat, sed hæc est causata ex aliqua positiva causa, quæ segregat, et dividit, talemque divisionem, ut a positiva causa ortam tollit negatio divisionis, quæ est indivisio.

XXXI. Ad primam confirmationem respondetur quod unitas in compositis non est formaliter ipsa unio, sed ex unione resultans, ideoque si unitas resultans est substantialis, unio ipsa formaliter modus esse non potest. Unitas autem sic resultans formaliter est ipsa entitas substantiæ, addit vero ut conditionem negationem divisionis. Quod vero dicitur de illis diversis speciebus unitatis respondetur omnem unitatem habere quidem aliquid pro parte rationis formalis, debere tamen habere pro conditione, et connotato aliquam negationem indivisionis in se, sine qua non datur unitas. Et ipsa unitas quantitativa addit quidem supra ens commune aliquid positivum pertinens ad genus quantitatis; in eo tamen genere indivisionem debet habere, quia divisa quantitas, una esse non potest.

XXXII. Ad secundam confirmationem respondetur identitatem non esse formaliter idem quod unum, sed identitas unitatem supponit, et superaddit, vel negationem mutationis, sicut dicitur manere idem, quamdiu non mutatur, seu alteratur a suo statu, vel relationem rationis ejusdem ad se ipsum, quatenus dicitur idem sibi, et non identificari alii extra se. Verum autem, et bonum dicuntur per adæquationem ad intellectum, vel appetibilitatem ad

voluntatem. Unum autem, nec per ordinem ad intellectum dicitur, nec per ordinem ad voluntatem sed absolute, et ad se et sic non potest addere ad ens respectum rationis, sed negationem divisionis, ut dicit D. Thomas q. I de verit. articulo primo.

XXXIII. Omittimus alia argumenta, quæ vel formantur ad probandum, quod unum superaddat aliquid positivum ad ens, et solum probant, quod unum importet formaliter ens, et ab illo non distinguatur, non tamen quod superaddat ens. Ei similiter alia, quæ probare intendunt, unum formaliter nihil positivum dicere, sed solam negationem, et solum probant, id superaddere enti, non vero non includere etiam formaliter id quod positivum est, a quo distingui non potest ens propter transcendentiam.

ARTICULUS II.

Quotplex sit unitas, et an differat a transcendentali?

I. Cum unitas sequatur ad ens in quantum indivisum, seu ut fundat in divisionem, juxta diversos indivisionis modos, diversa unitatum differentia desumenda est. Est autem generaliter loquendo triplex modus unitatis, seu indivisionis. Primo, est unitas transcendens, quæ est unitas, et indivisio entis, ut ens est. Secundo, est unitas formalis, quæ est unitas seu indivisio alicujus in formali constitutivo, et quidditate. Et quia in quidditate seu essentia rei inveniuntur diversi gradus, scilicet genericus et specificus, et in ipso genere, quædam sunt genera magis remota, quædam magis propinqua, et proxima speciei, potest etiam variari unitas seu indivisio formalis secundum unitatem genericam vel

specificam, aliqua enim conveniunt in unitate specifica, sicut Petrus, et Paulus conveniunt in ratione hominis, et a fortiori in ratione generica animalis; alia vero conveniunt solum in ratione generica animalis, vel viventis, etc. Et quia in quantum conveniunt non dividuntur, consequenter in eo in quo conveniunt, indivisionem habent, et hæc ratione dicuntur habere unitatem, quia habent convenientiam seu negationem divisionis. Tertia, est unitas numerica, quæ est unitas in individuatione, per quam non solum importatur convenientia, et indivisio in aliquo prædicato formali seu quidditativo, quod pertinet ad unitatem formalem, sed etiam importatur indivisio terminata, et incommunicabilis seu materialis, eo quod individuum non tam est prædicatum, quam subjectum, utpote infimum in gradibus essentialibus, et terminativum omnium. Unde unitas seu indivisio ejus est unitas materialis prout distinguitur a formali, quia individuum se habet materialiter, et per modum subjecti respectu omnium prædicatorum superiorum, quæ formalia sunt, et ideo unitas seu convenientia in prædicatis formalibus, vocatur unitas formalis, unitas vero individuationis vocatur materialis. Dicitur etiam terminata, et incommunicabilis, quia est ultimum ultra quod non fit prædicatio, neque communicatio in arbore prædicamentali. Circa istas ergo differentias unitatum, aliqua breviter per modum dubitationum explicanda sunt.

II. Primo, inquires utrum unitas transcendentalis, quam dicimus esse passionem entis, et condistinguiamus contra formalem, vel numericam sit unitas analogica, quæ convenit enti ut præscindenti ab omni genere et ut superius est ad illa, an sit alia unitas et quæ? Respondetur aliud